



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

9. Sententia Ottonis Magni Imp. contra Rothbertum Archiepiscopum
Treuirenssem lata Moguntiae, Anno DCCCCLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

stræ concessionis autoritas firmior permaneat, nullus eis in antea nisi regularis & electus ab illis in eodem loco constituatur Abbas, manu propria subtus cam firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis.
Actum in Witlara Data XV. Kl. Februarij. Anno
Incarnationis Dominicæ DCCCCXLIII. Indi-
ctione XIII. Anno Regni Domini Ottonis VII.



9.

*SENTENTIA OTTONIS MAGNI
Imperatoris contra Rothbertum Archiepiscopum Tre-
uirenſ. lata Moguntia Anno DCCCCLIII.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ annuente clementiâ
Rex. Notum esse volumus omnium nostrorum præsentium scilicet, & futu-
rorum industriæ, quod nos piè & salubriter de nostri statu regni tractando:
sancta loca ab Antecessoribus nostris, videlicet Regibus, vel alijs fidelibus in
honore Dei constructa, nostris etiam priuilegijs regali more roborare decre-
uimus, sed Venerabilis Treuericæ sedis Archiepiscopus Rothbertus aliquo-
rum, quas rei veritas latebat, adhortatus instinctu, nostram (super loco vel Ab-
batia Sancti Confessoris Christi Maximini) adijt regalitatem, hanc iniuste sibi,
vel Ecclesie sue ablatam fuisse conquestus. Nos tamen lectis in præsentia no-
strâ eiusdemque Archiepiscopi Rurberti, vel aliorum fidelium nostrorum, su-
per eodem loco præcedentium Regum Priuilegijs & Decretis, eum ab anti-
quissimis temporibus ad opus Monachorum constructum, nulli aliæ Ecclesie
vel sedi appendicem aut subiectum, sed semper sub regie tuitionis clypeo & po-
testate permanisse, certissima ratione reperimus. Idcirco interuentu & roga-
tu Germani nostri Archiepiscopi Brunonis, & Cunradi Ducis, ne ve eadem
priuilegia talibus prædicti Archiepiscopi Rothberti reclamationibus, aut que-
relis infirmarentur: vel Abbas aut Monachi ibidem Deo seruientes tali vltius
infestatione comprimerentur, Idem Cœnobium cum Abbatia sub nostra per-
petualiter, & omnium succedentium Regum defensione & potestate perman-
surum volumus. Et prænotati Episcopi, vel successorum suorum Episcoporum oc-
casionis iniuste super eodē loco querelas præcepti nostri autoritate excludi-
mus. Insuper Venerabilis eiusdem loci Abbas Willerus in præsentia prænomi-
nati Treuericæ sedis Archiepiscopi est conquestus in Treuericâ valle, multas
ab eo suisque, suis, & sibi incommoditates ingeri, maximeque in piscatione &
venna quadam in Ruuera fluuio constructa, fideli nostro Duce Cunrado affir-
mante, querimoniam Abbatis iustam esse. Igitur præsentis Archiepiscopo Rur-
berto interdiximus, deincepsque volumus, atque autoritate regali iubemus,

ne vel ipse Archiepiscopus Rurbertus, vel Successores eius Episcopi aliquid incommoditatis, vel in piscatione eiusdem fluuij, vel in vennâ in eo constructâ, vel in aliquo negotio, prædicto Abbati, Cœnobitisque postfuturis ingerant, & vt præsens nostræ regalitatis præceptum in postfutura sæcula fixum & stabile permaneat, manu propria subtus firmauimus: & annuli nostri impressione muniri iussimus.

Signum Domini Ottonis inuictissimi Regis.
Rudolphus Cancellarius ad vicē Brunonis Archicapellani recognoui. Data III. Kl. Septemb Anno Incarnationis Domini DCCCCLIII. Indictione VII. Anno verò Regni Domini Ottonis Regis XVIII. Actum Moguntia in Dei nomine feliciter. Amen.



16.

*Agapiti II. Pont. Max. Bulla consistorialis, qua Iudicium
& sententia Ottonis Magni adprobatur, Data prid.
Kal. Martij Indictione V III.*

Agapitus Seruus Seruorum Dei, Reuerendissimo Abbati Willihario totius charitatis exhibitionē in Christo. Nuntios vestræ almitatis ad sacrorum Apostolorum limina, partemque nostram Apostolicam dignitatem directos, Alolphum videlicet atque Guntharium cum magnâ beneuolentiâ suscepimus, ac illorum legationem præsentē omni Romano clero clementer audiuius: scimus verò ipsis referentibus sæpè ac multum vos vexatos à Roberto, quamuis in hoc minimè, in alijs tamen Venerabili Archiepiscopo, eo quod vobis commissum Monasterium sibi commissæ Ecclesiæ videlicet vellet subdere iniuste, nisi vos tueretur hinc inde iustum iudicium ex regia dignitate Serenissimi Ottonis prolatū: inde Kartæ Karoli Magni, atq; aliorum antiquorum Regum in medio recitatæ. Ergo ordo Romani Cleri, annuente nostra Apostolica dignitate, decreuit, vt super Monasterio vestro, dico autem illo, quod

in